Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1196
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

aduersum gentes libros septem. ad asclepiadem duos. de persecutio
ne unum. ad probum epistolarum libros IIII. ad seuerum epistolarum libros
duos. ad demetrianum auditorem suum epistolarum libros tres. et ab eun
dem de opificio dei uel formatione hominis librum unum. Hic ma
gister cesaris crispi filii constantini fuit. EVSEBIUS
cesaree palestine episcopus in scripturis diuinis studiosissimus. et
bibliothece diuine cum pamphilo martyre diligentissimus
inuestigator edidit infinita uolumina. de quibus hec sunt. euan
gelice exposicionis libri XX. euangelicarum questionum libri XV.
theophanie libri V. ecclesiastice hystorie libri X. omnimodam
hystoriam. et eius breuiarium de euangeliorum dissonancia. et in esaiam
libri X. Et contra porfirium qui eodem tempore scribebat in sicilia.
ut quidam putant libri XXX. topicon liber unus. pro origene
libri VI. de uita pamphili martyris tres. de martyribus alia
opuscula. et in centum quinquaginta psalmos eruditissimos com
mentarios et alia multa. Floruit maxime sub constantino
et ob amiciciam pamphili martyris cognomentum ab eo euse
bius pamphili sortitus est. RETICIUS heduorum id est
augustidunensis episcopus scripsit commentarios in cantica canticorum
et aliud grande uolumen aduersus nouacianum. METHO
DIUS olimpicie. et postea tyri episcopus, nitidi compositique sermo
nis aduersus porfirium confecit libros. et simphosium X
uirginum. et de resurrectione opus egregium contra origenem.
et aduersus eundem de phitonissa. et de anime exitu. Inge
nesim quoque et in cantica canticorum commentarios et multa alia.
Sub decio in calcide martyrio coronatus. IUUENCUS nobi
lissimi generis hispanus presbyter IIII euangelia exametris uer
sibus IIII libros composuit. et nonnulla eodem metro ad sacra